This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Ga
110
940.5

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Ga 110.040.5

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. Sophocles of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

SPECIMEN LITERARIUM

EXHIBENS

PROSOPOGRAPHIAE ARISTOPHANEAE

PARTEM EAM, QUAE EST

DE BELLI DUCIBUS.

19814

SPECIMEN LITERARIUM

EXHIBENS

PROSOPOGRAPHIAE ARISTOPHANEAE

PARTEM EAM, QUAE EST

DE BELLI DUCIBUS,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CHRISTIANI EVERS

MED. CHIR. ET ART. OBST. DOCT., ET IN FAC. MED. PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE

ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

JOHANNES GEORGIUS VOEGLER,

DARMSTADTENSIS,

DIE X. M. APRILIS A. MDCCCLXIX HORA III—IV.

IN AUDITORIO MAIORE.

MEDIOBURGI

TYPIS FRATRUM ABRAHAMS.

MDCCCLXIX.

Ga 110.940.5

1902

Constantius fund.

Parentibus

Optimis Carissimis.

CAPUT PRIMUM.

DE IIS, QUI ANTE BELLUM PELOPONNESIACUM VIXERUNT.

Uti ferme in omni populo fieri solet, sic Athenis quoque summi viri, qui in gravissimis temporibus aut virtute bellica, aut consilio in administranda republica adhibito, patriae salutem attulerunt, multa adversa ab aequalibus passi sunt, partim ob invidiam, partim ob anxietatem populi, ne quid libertas a primariis illis detrimenti caperet. Cujus rei notissimum exemplum habemus Aristidem, qui, quamvis unus omnium justissimus fuerit, tamen illam invidiam effugere non potuit et patria pulsus est nullam aliam ob causam, nisi »quod tam cupide elaborasset, ut praeter ceteros Justus appellaretur" *). Attamen Athenienses ingratum animum non servabant, neque optima illorum de patria merita oblivione tegebant. Atque sic eidem illi contigit, ut,

*) Corn. Nep. Arist. I.

quum jam circa vitae finem in theatro spectator sederet, dum Aeschyli »Ἑπτὰ ἐπὶ θήβας" aguntur et recitantur illa:

Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει
βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρποίμενος,
ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.

omnes oculos converterent in eum, *ὡς ἐκείνῳ μάλιστα τῆς ἀρετῆς ταύτης προσηκοίσης* *).

Sed etiam comici summis cum laudibus saepe commemorant illos et ut vera exempla virtutis ostendentes popularium animos ad imitandum incendere conantur. Videmus hoc et in Aristophane, qui quamvis, ut comici illius praesertim aetatis solent, totus sit in rebus praesentibus, tamen nonnunquam res antiquas virosque spectatoribus in memoriam revocat, quo magis sentirent, opinor, praesentia vitia et morum corruptionem. Cujus rei exemplum primum esto locus in Equ. 1321, ubi Agoracritus gloriatur, sese *τὸν Δῆμον ἀφεψήσαντα καλὸν ἐξ αἰσχροῦ πεποιηκέναι*, ita ut nunc talis factus esset,

Οἷός περ Ἀριστείδῃ πρότερον καὶ Μιλτιάδῃ ξυνεσίτει †).

Nominat duos illos scilicet, ut qui tunc exstitissent inter optimos optimi, interque strenuos bellatores strenuissimi. Ad Miltiadis laudem illa quoque faciunt, quae passim poeta dicit de pugna Marathonia et de Marathonomachis §). Symbolae ab Aristide institutae mentio fit Lys. 651. sq. **)

---

*) Plut. Arist. III.

†) Equ. 1325.

§) Equ. 778. 1331. Ach. 180. 697. 698. Vesp. 709. Thesm. 873. Nub. 982. Ran. 1330. Av. 243.

**) Cfr. praeter Schol. Suidam in voce *Μηδικῇ* et *Παππῷον*.

Tertius, qui illo tempore immortalem sibi gloriam conquisivit, Themistocles est, cujus de patria merita Aristophanes lepidissimo loco, Equ. 813. sq., laudat et illum cum Cleone comparans addit:

Κἀκεῖνος μὲν φεύγει τὴν γῆν, σὺ δ' Ἀχιλλείων ἀπομάττει.

Prudens illius consilium, quo effecit, ut Piraeus muniretur, laudat Equ. 887. De Themistoclis morte vide Equ. 84, ubi Nicias ad miserrimam conditionem effugiendam haec monet:

Βέλτιστον ἡμῖν αἷμα ταύρειον πιεῖν·
ὁ θεμιστοκλέους γὰρ θάνατος αἱρετώτερος.

Unde apparet famam illam, quod Themistocles sibi veneno mortem conscivisset, in vulgus notam fuisse. Malim tamen Thucydidi credere narranti I, 138, 5 de Themistocle: *νοσήσας δὲ τελευτᾷ τὸν βίον*, quam Aristophani, ut taceam de Clitarcho et Stratocle *). Id mihi autem magis verisimile videtur, comicum illa incerta fama usum esse non ideo, quod eam potissimum veram esse crederet, sed quia sic occasio esset versum tragicum interponendi, quod quam comicam vim habeat, et quam lubenter comici fecerint, nemo ignorat. Obversatus est, opinor, Aristophani versus ille Sophocleus, fragm. 185:

ἐμοὶ δὲ (Helenae) *λῷστον αἷμα ταύρειον πιεῖν.*

Leonidae mentio fit Lys. 1254, ubi chorus Lacedaemoniorum hunc in modum paullo durius laudem canit strenuissimi ducis eorumque, qui sub illo tam praeclaras res gesserint:

Ἁμὲ δ' αὖ Λεωνίδας,
ἆγεν ἅπερ τὼς κάπρως

*) Cic. Brut. § 42.

θάγοντας, οἰῶ, τὸν ὀδόντα.
πολὺς δ'ἀμφὶ τὰς γένυας ἀφρὸς ἤνσει,
πολὺς δ'ἅμα κατῶν σκελῶν ἵετο κτλ.

Cimonis nomen apud Aristophanem semel occurrit Lys. 1136, ubi Lysistrata Laconibus in memoriam revocat auxilium, quod iis duce Cimone tulerint Athenienses, quum Periclides supplex ad aram considens infimis precibus opem invocasset patriae in summum discrimen adductae:

Ἐλθὼν δὲ σὸν ὁπλίταισι τετρακισχιλίοις,
Κίμων ὅλην ἔσωσε τὴν Λακεδαίμονα.

Factum hoc est illa aetate *), quae paullo est obscurior, quoniam testem idoneum habemus unum Thucydidem, qui in illis rebus enarrandis est brevissimus. Quum autem de ceteris auctoribus unus sit, qui ab historicorum principe hac in re discrepet, operae pretium erit varia testimonia conferre et videre, utri fides habenda sit major. Audiamus igitur primum Thucydidem, qui concise quidem sed disserte sic narrat: (I, 101. sq.) »*οἱ δὲ*" (Spartani) »*ὑπεσχοντο μὲν*" (scil. opem ferre Thasiis tunc ab Atheniensibus victis obsessisque) »*κρύφα τῶν Ἀθηναίων καὶ ἔμελλον, διεκωλύθησαν δὲ ὑπὸ τοῦ γενομένου σεισμοῦ, ἐν ᾧ καὶ οἱ Εἵλωτες αὐτοῖς καὶ τῶν περιοίκων θουριᾶταί τε καὶ Αἰθαιεῖς ἐς Ἰθώμην ἀπέστησαν. πλεῖστοι δὲ τῶν Εἱλώτων ἐγένοντο οἱ τῶν παλαιῶν Μεσσηνίων τότε δουλωθέντων ἀπόγονοι· ᾗ καὶ Μεσσήνιοι ἐκλήθησαν οἱ πάντες. πρὸς μὲν οὖν τοὺς ἐν Ἰθώμῃ πόλεμος καθεστήκει Λακεδαιμονίοις,*" et post pauca, »*Λακεδαιμόνιοι δὲ ὡς αὐτοις πρὸς τοὺς*

*) Thuc. I, 97.

ἐν Ἰθώμῃ ἐμηκύνετο ὁ πόλεμος, ἄλλους τε ἐπεκαλέσαντο ξυμμάχους καὶ Ἀθηναίους· οἱ δ᾽ἦλθον Κίμωνος στρατηγοῦντος πλήθει οὐκ ὀλίγῳ. μάλιστα δ᾽αὐτοὺς ἐπεκαλέσαντο ὅτι τειχομαχεῖν ἐδόκουν δυνατοὶ εἶναι.

Consentiunt cum Thucydide Pausanias *) et Diodorus †), quorum ille brevissima adumbratione, hic paullo uberius eadem refert.

Plutarchus vero in vita Cimonis c. 26 et 27 ita narrat: Archidamo, Zeuxidami filio, quarto anno regnante, quum terrae motu Sparta esset afflicta, statim Helotum seditionem ortam esse, eosque impetu in Spartam facto repulsos sese recepisse in arcem Ithomen. Tunc Spartanos Periclidem misisse Athenas, qui auxilium peteret, et Cimonem impetrasse, ut mitteretur cum exercitu ad opem ferendam. Cimon igitur secundum Plutarchum tunc proficiscitur in Peloponnesum, sed idem eo itinere exposito ita pergit: »Οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι τοὺς Ἀθηναίους αὖθις ἐκάλουν ἐπὶ τοὺς ἐν Ἰθώμῃ Μεσσηνίους καὶ Εἵλώτας, ἐλθόντων δὲ τὴν τόλμαν καὶ τὴν λαμπρότητα δείσαντες ἀπεπέμψαντο μόνους τῶν συμμάχων ὡς νεωτεριστάς." Si igitur his verbis credere velimus, duae factae essent tunc Atheniensium in Peloponnesum expeditiones, altera in initio belli, altera posthac et videbis Clintonem in F. H. Plutarchi testimonio fretum ad annum 464 notantem: »*Cimon Lacedaemoniis auxilio proficiscitur cum* 4000 *militibus*" et ad annum 461: »*Cimon iterum Lacedaemoniis auxilio proficiscitur.*"

*) IV, 24.

†) XI, 63. sq. De hujus scriptoris turbatione temporum vide Introd. in fragm. chronol. pag. 147 in editione Didot 1862.

Prioris expeditionis testes dat duos Plut. Cim. 16 et Arist. Lys. 1140—47, alterius item duos Thuc. I, 102 et Plut. Cim. 17. Quae autem probabilis causa est, quam ob rem Aristophanem testem producat illius prioris expeditionis? Non video; nam Lysistratae verba, quid est cur non etiam spectare possint ad ea, quae Thucydides narrat? Supplex venit Periclides, ut ait Aristophanes, quum et hostes et deus ipse urgeret Spartam; Cimon autem cum 4000 militibus advenit καὶ ὅλην ἔσωσε τὴν Λακεδαίμονα. Num inde apparet, Cimonem statim ab initio belli profectum esse? At neque id inde apparet, Athenienses statim invocatos quarto demum belli anno subvenisse. Concedo, sed minime puto comici verba, ubi rem olim gestam commemoret, tam accurate esse exigenda et ponderanda, quasi ejus testimonio stare possimus. Praeterea non verisimile est Cimonem, qui tum multis resistentibus nonnisi aegre obtinuit, ut mitteretur, idem bis impetrasse, idque quum jam tunc temporis semina perniciosae illius inter aristocraticos et democraticos discordiae jacta essent.

Restat igitur testis alter Plutarchus. Sed si istud αὖθις, quod facile ob similitudinem finitimarum literularum male pedem inferre potuit *) aut prorsus delendum esse aut aliud quid eo loco scriptum fuisse putamus, omnia recte habent et deest omnis difficultas. Quum enim nullum supersit in veteribus fontibus alterius expeditionis vestigium et, ut supra demonstravi, ne veriismile quidem sit, quemquam Athenienses bis ad

*) ΑΘΗΝΑΙΟΥΣΑΥΘΙΣΕΚΑΛΟΥΝ.

illud Spartanis opitulandi consilium adducere potuisse, neque Plutarchum credam unquam sibi persuadere potuisse, duas factas esse expeditiones. Integra igitur manet Thucydidis auctoritas, scilicet semel tantum atque aegre Cimonem impetrasse, ut mitteretur, idque non statim, quum bellum irrupisset, sed tunc demum *ὡς.... ἐμηκύνετο ὁ πόλεμος*, i. e. quum hostes jam aliquamdiu Ithomen strenuissime defenderent et videretur bellum dinturnius fore, nam haec opinor est illius Imperfecti significatio.

Quod ad Periclem attinet panca sufficiant, nam video jam alium in specimine suo inaugurali de illo egisse *) Excerpsit hic ex Aristophane locos tres, Acharn. 528 sqq. de Pericle belli Pelop. auctore scilicet, Pac. 606. sqq. de suspicione furti, cujus Phidias accusatus est et Pericles conscius fuisse dicebatur. Tertius locus est Nub. 859:

ὥσπερ Περικλέης εἰς τὸ δέον ἀπώλεσα

(pro *ἀνάλωσα*), quae verba conferenda sunt cum Plut. Pericl. c. 23. et e quibus est colligere, quantum ille auctoritatis et potentiae, ut in democratia, in se contulerit, ita ut Thucydides †) non injuria de illo Reipublicae statu dicere posset: *ἐγίγνετό τε λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή*. Sed illa potentia fretus, quamquam libertatem vel potius effrenatam plebis licentiam semper foveret, ita ut Plato §) eum vel hanc ob

---

*) Trosée: Expositio judicii, quod Aristophanes tulit de principibus personis, quae in ejus fabulis occurrunt. Lugd. Bat. 1854 pag. 19. sqq.

†) Thuc. II, 65, 6.

§) Gorg. pag. 516. D.

causam οὐκ ἀγαθὸν τὰ πολιτικά fuisse diceret, quippe qui cives ἀγριωτέρους γε ἀπέφηνεν ἢ οἵους παρέλαβε, tamen unum illius licentiae genus, sibi quidem, qui laudibus extolli soleret, nimirum ingratissimum, sed quod populo Attico certissimum libertatis pignus videretur, reprimere ausus est. Scilicet παρρησία illa comicorum, quae ut primum orta est, se in illum praesertim convertisset, cui plurimum debebat, ab eo ipso lege lata in tres annos oppressa est, ut demonstrat Cobetus in Observ. crit. in Platonis Com. rel. pag. 5 sqq.

Praeter illos tres locos jam duo in Aristophane occurrunt, ubi Periclis mentio fit, quorum alter est Nub. 213, ubi Strepsiades, quum sibi in Socratis φροντιστηρίῳ discipulus tabulam geographicam explicat Euboeamque monstrat παρατεταμένην μακρὰν πόρρω πάνυ, dixit:

Οἶδ· ὑπὸ γὰρ ἡμῶν παρετάθη καὶ Περικλέους.

Quae verba spectant ad illam expeditionem, quam Athenienses duce Pericle in seditiosam insulam anno 445 susceperant *). Simul indicatur verbo παρετάθη sine dubio miserrima insulae devictae conditio †), cujus testem vide Thuc. I, 114.

Alter locus est Equ. 282., ubi Cleon dicitur non solum quotidie laute et opipare in prytaneo sumptibus publicis coenare, sed etiam de illis epulis contra jus et fas exquisitissimum quodque secum domum ferre,

οὗ Περικλέης οὐκ ἠξιώθη πώποτε.

Haec autem verba non argumento esse possunt, Peri-

---

*) Thuc. I, 114. Philoch. ap. Schol. ad Arist. Nub. 213. Diod, XII, 22.

†) Schol. recte explicat ἐξετρυχώθη καὶ κατεπονήθη.

clem pro meritis suis dono publico, *τὴν ἐν πρυτανείῳ σίτησιν* aut rogasse aut accepisse. Erat hoc istorum, qui publica curarent ea praesertim de causa, ut suis commodis prospicerent, sed non convenit cum Periclis ingenio, quale id nobis Thucydides *) proponit. Pericles enim nihil magis agebat, quam id, ut posset *τὸ πλῆθος κατέχειν ἐλευθέρως*.

*) II, 65, 3—9.

CAPUT SECUNDUM.

DE IIS, QUI POST PERICLEM USQUE AD ANNUM 421 FERE INCLARUERUNT.

Inter paucissimos illos, qui in comoedia non male audiebant, fuit Phormio, qui et ob integritatem morum et ob res praeclaras gestas, nonnisi cum laude commemoratur ubique. Postquam jam in bello Samio una cum Thucydide et Hagnone dux fuit *) et post Calliae mortem ad Potidaeam pugnavit, summam gloriam adeptus est, quum cum viginti navibus ad Naupactum missus †) bis navali pugna victoriam reportaret. Post illas victorias nihil ab eo amplius gestum memoriae proditum et ex Thuc. 3, 7, 1. satis certo colligimus eum tunc, quum Acarnanes ab Atheniensibus peterent »*τῶν Φορμίωνός τινα σφίσι πέμψαι ἢ υἱὸν ἢ ξυγγενῆ ἄρχοντα*" jam mortuum fuisse §).

*) Thuc. I, 117.

†) Anno 429. Thuc. II, 83 et 86, 3—92, 3.

§) Anno 428.

Primum illius viri mentionem fecit Aristophanes jam in secunda fabula, in Babyloniis, quod apparet ex Scholiasta, Pac. 347. Tum Equit. 562 chorus invocat Posidonem, his verbis: *Φορμίωνί τε φίλτατ' ἐκ τῶν ἄλλων τε θεῶν Ἀθηναίοις πρὸς τὸ παρεστός.*

Deinde in Pace 347 commemorantur *στιβάδες ἃς ἔλαχε Φορμίων.* Quo verbō indicantur molestiae, quas summus dux et in privata vita et in bello cum militibus exantlaverit. Vixit enim *καθαρῶς στρατηγήσας* in re tenui, *πένης ἐγένετο,* et quam duriter et jejune vixerit in bello, apparet etiam ex Eupolide. Servavit scilicet Schol. Pac. 347 nobis fragmentum ex Taxiarchis, mutilum quidem, sed tamen ita, ut diluceat id, quod dixi. Legimus enim in illo scholio haecce: *καὶ Διόνυσος ἐν Ταξιάρχοις παρ' Εὐπόλιδι μανθάνων παρὰ τῷ Φορμίωνι τοὺς τῶν στρατηγῶν (στρατηγιῶν* Meineke) *καὶ πολέμων νόμους φησὶν, »ὡς οὐκέτ' ἂν*** φύγοιμι στιβάδος ἐξ ὅτου 'φαγον"*; quem locum Cobetus N. L. p. 254 ingeniose, ut solet, sic emendavit supplevitque:

ὡς οὐκέτ' ἂν φύγοιμ' ἐγώ,
ἐν Φορμίωνος στιβάδος ἐξ ὅτου 'φαγον.

Tum paullo infra: *ἐν δὲ τοῖς Ταξιάρχοις φέρεται ὡς ἐπίπονος.* Denique in Lys. 804, loco spurcissimo quidem, sed simul jocosissimo, comparatur cum Myronida:

Καὶ Μυρωνίδης γὰρ ἦν
τραχὺς ἐντεῦθεν μελάμπυγός τε τοῖς ἐχθροῖς ἅπασιν
ὡς δὲ καὶ Φορμίων *).

Ut supra diximus Phormio collegas secum habuit duos Hagnonem et Thucydidem. Hic autem erat Melesiae filius,

---

*) De voce *μελάμπυγος* vide annot. Beck. in ed. Hesych. et Suidam.

cujus nomen bis in Aristophane occurrit. Acharn. 702 sq. senes queruntur, quod adolescentuli senibus negotia facesserent, olim ad Marathonem fugantibus, nunc ab hominibus nequam fugatis et ita pergunt:

Τῷ γὰρ εἰκὸς ἄνδρα κυφὸν, ἡλίκον θουκυδίδην,
ἐξολέσθαι συμπλακέντα τῇ Σκυθῶν ἐρημίᾳ,
τῷδε τῷ Κηφισοδήμῳ, τῷ λάλῳ ξυνηγόρῳ;
ὥστ' ἐγὼ μὲν ἠλέησα κἀπεμορξάμην ἰδὼν
ἄνδρα πρεσβύτην ὑπ' ἀνδρὸς τοξότου κυκώμενον,
ὃς μὰ τὴν Δήμητρ', ἐκεῖνος ἡνίκ' ἦν θουκυδίδης,
οὐδ' ἂν αὐτὴν τὴν Ἀχαίαν ῥᾳδίως ἠνέσχετο,
ἀλλὰ κατεπάλαισεν ἂν μὲν πρῶτον Εὐάθλους) δέκα,*
κατεβόησε δ' ἂν κεκραγὼς τοξότας τρισχιλίους,
περιετόξευσεν δ' ἂν αὐτοῦ τοῦ πατρὸς τοὺς ξυγγενεῖς.

Ad idem judicium videntur respicere, quae leguntur Vesp. 946:

Οὔκ, ἀλλ' ἐκεῖνό μοι δοκεῖ πεπονθέναι,
ὅπερ ποτὲ φεύγων ἔπαθε καὶ θουκυδίδης·
ἀπόπληκτος ἐξαίφνης ἐγένετο τὰς γνάθους.

Nomine Thucydidis commemorantur quatuor †), quorum in unum Melesiae filium secundum scholia quidem et temporum rationem recte conveniunt, quae Aristophanes dicit. Ille autem Melesiae filius post Cimonem caput erat *τῶν ἀριστοκρατικῶν*, qui §) *μέγιστον μὲν ἤδη τὸν Περικλέα καὶ*

---

*) Schol. *Οὗτος ὁ Εὔαθλος ῥήτωρ πονηρός. Ἀριστοφάνης ἐν Ὀλκάσιν »ἔστι τις πονηρὸς ἡμῖν τοξότης, ξυνήγορος ὥσπερ Εὔαθλος παρ' ὑμῖν τοῖς νέοις"*.

†) Schol. Vesp. 947. Ach. 703. Vita Thuc. Marcell. § 28.

§) Plut. Pericl. XI. De Thucydide Periclis in Rep. adversario praeterea vide cap. 6, 8 et 9. Athen. XI, pag. 506 B.

πρόσθεν ὁρῶντες γεγονότα τῶν πολιτῶν, βουλόμενοι δὲ ὅμως εἶναί τινα τὸν πρὸς αὐτὸν ἀντιτασσόμενον ἐν τῇ πόλει καὶ τὴν δύναμιν ἀμβλύνοντα, ὥστε μὴ κομιδῇ μοναρχίαν εἶναι, θουκυδίδην τὸν Ἀλωπεκῆθεν, ἄνδρα σώφρονα καὶ κηδεστὴν Κίμωνος, ἀντέστησαν ἐναντιωσόμενον. Hi igitur summi tunc in civitate viri acriter aliquamdiu inter se certabant, vicit autem Pericles *), ἐκεῖνον μὲν ἐξέβαλε κατέλυσε δὲ τὴν ἀντιτεταγμένην ἑταιρίαν, quod, teste Plutarcho †), factum est anno fere 445, quoniam inde ab Olymp. 84. ineunte §) Pericles sine ullo adversario civitati praeest.

Paucis vero annis post eundem Thucydidem ex exsilio reversum et ducem creatum videmus cum Hagnone et Pharmione in insulam Samum proficisci. Quae autem supra ex Aristophane attuli, non facta esse videntur in illo judicio, quo Pericles molestum adversarium in exsilium miserat. Qui enim fieri potuisset, ut factio optimatium post Cimonis mortem virum senio gravem, deque cujus robore et acumine jam dudum actum esset, Pericli opposuisset, vel ut eundem nonnullis annis post populus belli ducem creare potuisset? Praeterea Ar. in Acharn. queritur de rebus praesentibus, de nova illa juvenili audacia et petulantia, cujus notissimum exemplum mox Alcibiades est, atque idcirco non facile argumento attulisset rem paene viginti annis ante factam. Quae quum ita sint, duo illi loci spectare videntur ad judicium quoddam, quo haud ita multo ante Acharnenses actos Thucydides ille nescio cujus criminis accusatus ab adoles-

*) Plut. Pericl. XIV.

†) Pericl. XVI.

§) Clint. F. H. 54. (Krueg.)

centulo, quum nihil habuisset, quo se defenderet, grandis natu patria pulsus est.

Vesp. 240 sq. chorus *τῶν δικαστῶν* in forum ad sortitionem properantium ita dicit

Ἀλλ' ἐγκονῶμεν, ὦνδρες, ὡς ἔσται Λάχητι νυνὶ
σίμβλον δέ φασι χρημάτων ἔχειν ἅπαντες αὐτόν.
Χθὲς οὖν Κλέων ὁ κηδεμὼν ἡμῖν ἐφεῖτ' ἐν ὥρᾳ
ἥκειν ἐχοντας ἡμερῶν ὀργὴν τριῶν πονηρὰν
ἐπ' αὐτὸν ὡς κολωμένους ὧν ἠδίκησεν.

Ad idem judicium spectant, quae in eadem fabula leguntur inde a versu 894, ubi Philocleon domi jus dicit inter duos canes. Videlicet *ἐγράψατο*

κύων Κυδαθηναιεὺς Λάβητ' Αἰξωνέα
τὸν τυρὸν ἀδικεῖν, ὅτι μόνος κατήσθιεν
τὸν Σικελικόν.

Quo loco nullum scio, qui aptior sit et ad risus movendos et simul ad prava facta acerbissime carpenda. Laches scilicet *ὁ Μελανώπου* cum Charoeade collega ad finem aestatis anni 427 cum viginti navibus mittitur in Siciliam Leontinis auxilio *). Brevi post Charoeades occiditur et Laches solus imperium obtinet donec Pythodorus hieme anni sequentis mittitur succesor *). E Sicilia reversus videtur a Cleone accusatus esse, quod ingentes sibi opes in illa expeditione pessimis artibus comparasset. Quam suspicionem neque a Thucydide neque ab alio confirmatam video. Attamen Aristophanes in illo judicio rem ita proponit, ut Labes, qui nomine lepide ficto sine

*) Thuc. III, 86.
†) Thuc. III, 115.

dubio Lachetem significat *), manifeste fecisse videatur, sed tamen stoliditate et imprudentia judicis absolvatur.

---

*) Scholiasta Vesp. 836 hoc negat: ἀξιοῦσι δέ τινες ὡς παρὰ γράμμα κωμῳδεῖσθαι Λάχητα τὸν στρατηγήσαντα περὶ Σικελίαν ἐπὶ δωροδοκίᾳ, καὶ τὰ ἑξῆς ἐπὶ ταύτην λέγεσθαι τὴν ὑπόνοιαν, ὅτι δὲ νοσφιστὴς καὶ ὑπὸ ἄλλων κωμῳδεῖται προείρηται. τοῦτο δὲ κομψόν ἐστιν, οὐ πάνυ δὲ οἰκεῖον δοκεῖ, ἐπεὶ κἂν παρεδήλωσεν αὐτό. ἀλλ' ἔοικεν ὁ Λάβης ὠνοματοπεποιῆσθαι ἁπλῶς κτλ. Sic ad 895 simpliciter adnotatur: Κυδαθηναιεύς: Ἀπὸ δήμου τῆς Πανδιονίδος φυλῆς· Αἰξωνεύς δὲ ἀπὸ δήμου τῆς Κεκροπίδος, ubi neque Cleonis neque Lachetis mentio fit. Sed quod poeta revera Cleonem et Lachetem significaverit, id satis apparet ex ipsis Xanthiae accusatoris verbis: (vs. 908)

Δεινότατα γὰρ
ἔργων δέδρακε κἀμὲ καὶ τὸ ῥυππαπαῖ
Ἀποδρὰς γὰρ ἐς τὴν γωνίαν τυρὸν πολὺν
κατεσικέλιζε κἀνέπλητ' ἐν τῷ σκότῳ, —
(914) κοὐ μετέδωκ' αἰτοῦντί μοι

Cleon scilicet, quem imprimis ex vs. 915, 916 et 928 agnoscimus, vehementer iratus videtur Lacheti non ob ipsum scelus, sed quia ille se non corrumpere atque sic participem opimae praedae facere conatus esset. Lachetis expeditio praeterea disserte indicatur vs. 924 sq.

ὅστις περιπλεύσας τὴν θυείαν ἐν κύκλῳ
ἐκ τῶν πόλεων τὸ σκῖρον ἐξεδήδοκεν.

Sed ut ne minimum quidem dubitationis maneret, quis lateret sub illo Labetis nomine, poeta insuper addidit nomen demi, unde Laches oriundus fuit. Nam Αἰξωνέα eum fuisse apparet ex Platonis Lachete pag. 197, C. ubi Nicias et Laches cum acerbissima altercatione disputant de vera fortitudine. Nicias videlicet contendit veram fortitudinem eam esse, quae conjuncta sit cum prudentia, contra minime fortes habendos esse eos, qui sint ἄφοβοι καὶ θρασεῖς. Ἀνδρεῖα igitur εἶναι τὰ φρόνιμα. Ad quae Laches respondit: l. l. θέασαι, ὦ Σώκρατες, ὡς εὖ ὅδε ἑαυτὸν δή, ὡς οἴεται, κοσμεῖ τῷ λόγῳ· οὓς δὲ πάντες ὁμολογοῦσιν ἀνδρείους

Quod praeterea ad Lachetis ingenium et mores attinet cum Aristophane conferas Platonis de illo judicium, quod exposuit Groen van Prinsterer, Prosopogr. Platon. pag. 144 sq.

Cleon ceterique illius temporis demagogi vel rhetores eo potissimum suam auctoritatem servare conabantur, ut credulae plebi moverent odium, invidiam et imprimis suspicionem Laconismi in adversarios suos. Unde factum est, ut ii, qui aut pacem suadendo aut multa illa democratiae vitia reprehendendo illis adversari auderent, pessime audirent et non facile grave illud Laconismi et proditionis crimen effugerent. Cujus rei exemplum vide Vesp. 474, ubi chorus Vesparum Bdelycleonem, qui patrem retinendo professus esset, se minime probare istam male sanam et pravam juris dicendi rationem, statim his conviciis petit:

Σοὶ λόγους, ὦ μισόδημε καὶ μοναρχίας ἐρῶν,
καὶ ξυνὼν Βρασίδᾳ κτλ.

εἶναι, τούτους ἀποστερεῖν ἐπιχειρεῖ ταύτης τῆς τιμῆς. Cui Nicias: *Οὔκουν ἔγωγε, ὦ Λάχης, ἀλλὰ θάρρει· φημὶ γάρ σε εἶναι σοφόν καὶ Λάμαχόν γε, εἴ πέρ ἐστε ἀνδρεῖοι, καὶ ἄλλους γε συχνοὺς Ἀθηναίων.*

Laches verens, ne maledicentiae crimen mereat, nihil vult ad haec respondere, dicens: *Οὐδὲν ἐρῶ πρὸς ταῦτα, ἔχων εἰπεῖν, ἵνα μή με φῇς ὡς ἀληθῶς Αἰξωνέα εἶναι,* id est, non genere tantum, sed ingenio quoque. Quae explicatio debetur Scholiastae ad hunc locum: *Αἰξωνὶς δῆμος Κεκροπίδος, καὶ Αἰξωνεῖς οἱ ἐκεῖθεν, οἱ καὶ βλάσφημοι ἐκωμῳδοῦντο εἶναι· παρ' ὃ καὶ αἰξωνεύεσθαι φασι τὸ βλασφημεῖν· ὃ καὶ ἡ Πλατωνικὴ ῥῆσις δηλοῖ.*

Brasidas scilicet, quum Vespae actae sunt, scil. *). ἐπ' ἄρχοντος Ἀμεινίου εἰς Λήναια †) [Anthesterione s. Febr. 422 (secundum Boeckhium Gamelione Kr.)] jam vixit, quum eodem anno, archonte Alcaeo, occideretur τοῦ θέρους τελευτῶντος §). Praeterea quae supra diximus confirmantur Pac. 640, ubi Laconismus eodem modo significatur.

*) Argum. Vesp.

†) Clint. F. H. p. 75 (Krueg).

§) Thuc. V, 12.

CAPUT TERTIUM.

DE IIS, QUI AB ANNO 421 FERE USQUE AD ANNUM 410 PRAETORES FUERE.

Aristophanes ut qui esset *εἷς τῶν καλῶν τε κἀγαθῶν* pessime oderat bellum, quod ei videretur nemini prodesse, nisi iis, qui cum damno publico suis tantum commodis prospicerent *) et aere merendo praedaque facienda rem facere studerent. Sic saepe queritur poëta de malis belli et de ipsis belli ducibus, cujus rei exemplum vide Equit. 563 sqq., ubi antiquos duces laudibus tollit, quorum nemo, quamvis optime de patria meritus

σίτησιν ᾔτησ' ἐρόμενος Κλεαίνετον.

Sed de iis, qui tunc cum imperio essent, dicit, neminem velle pugnare, *ἐὰν μὴ προεδρίαν φέρῃ καὶ τὰ σιτία.* Itaque fieri non potuit, quin eum potissimum suis

*) Vide quae infra dicuntur de Pisandro; nec non Arist. Pac. 395 et Schol. ad eundem locum.

aculeis peteret, acerbissimeque derideret, qui tunc erat unus omnium belli amantissimus et sibi admodum placebat, quando armatus clypeo horrenda Gorgonis imagine ornato, fulgente gladio, terrifica crista nutante, ἀστραπὰς βλέπων *) incederet. Lamachus scilicet Xenophanis †) filius §), quem ἀνδρεῖον vocat Plato Lach. pag. 179 C. et Plut. Nic. cap. 15.: ἀνδρώδη καὶ δίκαιον ἄνδρα, καὶ τῇ χειρὶ χρώμενον ἀφειδῶς κατὰ τὰς μάχας, in Acharn. in scenam prodit et ab Aristophane lepidissimum in modum per totam comoediam deridetur, sed ita tamen, ut strenuitatis laus ei nunquam abrogetur. Immo post ejus mortem Thesm. 841 honorificam ejus mentionem facit:

Τῷ γὰρ εἰκὸς, ὦ πόλις,
τὴν Ὑπερβόλου καθῆσθαι μητέρ' ἠμφιεσμένην
λευκὰ καὶ κόμας καθεῖσαν πλησίον τῆς Λαμάχου;

Sic quoque Ran. 1039 inter multos illos fuisse dicitur bonos, qui in arte bellica exercenda ea, quae apud Homerum legissent, exempla imitanda sibi proposuerint.

Unicum vero crimen, quod ei inter jocos objicit illud est, quod legitur Acharn. 614 sq., quod aere alieno olim oppressus imperium capessiverit et praesertim nummorum causa militaret. Sed credo pacis amatori hoc crimen excidisse

τάχ' ἂν
ὀργῇ βιασθὲν μᾶλλον ἢ γνώμῃ φρενῶν,

*) Ach. 566 sqq.

†) Thuc. 6, 8 et Schol. Ach. 270. Contra Schol. Thesm. 840 illius patrem Xenophantum vocat.

§) Ach. 568 Acharnenses Lamachum vocant φυλέτην, videtur igitur ejusdem atque Acharn. tribus esse, Oeneidis scilicet.

De Nicia pauca sufficiant, quia quae in Aristophane de illo occurrunt jam collegisse video Trosée *). Sed legitur in Kockii praefatione ad Equit (ed. Weidmanni, 1867, pag. 30), exstitisse aliquem, qui negaret Aristophanem duobus illis servis Demi significasse Demosthenem et Niciam. Quamvis autem res sit apertissima, tamen juvat paucis ostendere, quam facile spectatores ex ipsis servi verbis agnoscere potuerint Niciam. Erant enim in summo viro ut insignes virtutes, sic nonnulla vitia quoque et nullius viri ingenium illius quidem temporis nobis est magis notum quam Niciae. Erat videlicet φοβερὸς †), ἀθαρσὴς καὶ δύσελπις §) et ridiculum in modum δεισιδαίμων **). Quae vitia accuratissime Aristophanes depinxit. Jam prima verba:

κάκιστα δῆθ' οὗτός γε πρῶτος Παφλαγόνων
αὐταῖς διαβολαῖς

ostendunt spectatoribus quis in scenam prodierit. Tenebant enim memoria acerba maledicta Cleonis in Niciam, quum proximo priore anno Athenienses post diuturnam obsessionem Spartanos in insula Sphakteria capere non possent ††) Δειλίαν scilicet καὶ μαλακίαν tunc objecit Niciae. Ad eadem illa maledicta spectant verba Cleonis in Equit. 288. Ingenii timiditatem indicat primum illud (vers. 15).

ἵνα μὴ μάχωμαι.

---

*) Spec. inaug. pag. 43 sq.
†) Thuc. 7, 42.
§) Plut. Nic. 2.
**) Plut. Nic. 24 et Plato Lach. p. 195. E.
††) Plut. Nic. VII Thuc. III, 27.

Deinde vide quam caute et anxie illud aufugiendi consilium ostendat. Quod quum alteri servo non placuisset, a diis immortalibus, quos pie ac reverenter se colere confitetur, salutem expectat. (Vs. 30 sqq.) *Δεισιδαιμονίαν* ejus vide imprimis vs. 106 et 112. Denique ubi isiciarius adest et Nicias praesentit rixas, quae oriturae essent, si Paphlagon rem animadverteret et egrederetur, cautus se recipit in tutum. Vides ea omnia optina convenire cum iis, quae de Niciae ingenio legimus apud Thucydidem et Plutarchum, neque minus certum esse, Aristophanem significasse Niciam, quam quod alter servus se Demosthenem esse profiteatur iis verbis quae leguntur vs. 54 sqq. Demosthenis scilicet, Alcisthenis filii,*) nomen in Aristophane nusquam occurrit, sed quoniam constat alterum servum eundem illum fuisse, facile est ejus ingenium cognoscere. De Demosthenis consilio et virtute, deque ejus de patria meritis nil attinet dicere. Res enim quas vario Marte gesserit, sunt notissimae. Quod vero attinet ad viri indolem, colligi potest ex Equitibus, eam fuisse prorsus contrariam quam Niciae. Licet enim pari odio infensus esset Cleoni, tamen eum non metuit, ut Nicias. Etenim non erat in illo *τὸ φοβερὸν καὶ τὸ ἀθαρσές*, sed strenue petit Cleonem et summo ardore equites ad eum persequendum incitat †) ita, ut acerrimum ducem decet. Vim et ardorem animi semper ostendebat Demosthenes, si hostes aderant et sine ambagibus statim confligere solebat. Exemplum ejus rei vide in expeditione Sicula, apud Thuc. VII, 42, 3.

---

*) Thuc. III, 91.

†) Eq. 242 sqq.

Aestate anni 414 tres duces mittuntur cum triginta navibus Argivis auxilio, qua expeditione Athenienses tunc manifestissime foedus ruperunt. Namque classe ad Epidaurum Limeram et Prusias appulsa, partem terrae Laconicae devastaverunt *). Inter illos tres duces erat Laespodias, idem qui commemoratur apud Aristophanem semel Av. 1469, ubi Poseidon in Triballum invehitur *ὡς οὐκ ἐπιτηδείως περιστελλόμενον τὴν ἐσθῆτα, ἀλλ' ἐπ' ἀριστερὰ περιβαλλόμενον* †) et addit:

Λαιςποδίας εἶ τὴν φύσιν.

Athenienses scilicet solebant *θοἰμάτιον περιβάλλεσθαι ἐπιδέξια*, id est ita, ut humerus et brachium sinistrum tegeretur, sed brachium dextrum nudum maneret. Inde sequebatur, ut toga a dextra parte corporis altius dependeret. Si quis istiusmodi rerum incuriosior, vel rustica negligentia eo more mutato incederet, ridebatur ab omnibus §). Propterea Neptunus tam graviter irascebatur in Triballum ubi eum tam ridiculum in modum vestitum vidit, ratus, opinor eam rem nocere posse auctoritati deorum tunc temporis jam satis infractae et infirmae.

Quare autem Triballus comparetur cum Laespodia illo, id videtur colligi posse e Scholiasta ad hunc locum, ubi legimus Laespodiam perstringi, *ὅτι τὴν κνήμην εἶχε σαθράν*. Crediderim ergo Laespodiam, ut illud corporis vitium, quoad ejus fieri posset, tegeret, a solito more togam

---

*) Thuc. 6, 105.

†) Schol. Av. 1567.

§) Athen. A, 21, b: *Ἔμελε δὲ αὐτοῖς καὶ τοῦ κοσμίως ἀναλαμβάνειν τὴν ἐσθῆτα, καὶ τοὺς μὴ τοῦτο ποιοῦντας ἔσκωπτον.* Sequuntur exempla.

gestandi discessisse. Ob idem vitium Laespodias et Damasias nescio quis ab Eupolide ridentur in ea fabula, cui nomen est *Δῆμοι*, quamque Meineke biennio post Aves anno 412 actam esse conjecit. (Quaest. scen. I, pag. 50 sq.). Servavit nobis Scholiasta hos duos versiculos

ταδὶ δὲ τὰ δένδρα Λαισποδίας καὶ Δαμασίας
αὐταῖσι ταῖς κνήμαισιν ἀκολουθοῦσί μοι *).

Ceterum Laespodiam commemoratum apud Phrynichum *ἐν Κωμασταῖς, ὡς πολεμικοῦ γεγονότος*, in eodem Scholio videmus.

Lys. 99 sqq. mulieres queruntur, quod miserrimi belli causa abessent viri et ipsae nunc deserto jacerent frigidae lecto. Sic Calonice:

ὁ γοῦν ἐμὸς ἀνὴρ πέντε μῆνας, ὦ τάλαν,
ἄπεστιν ἐπὶ θρᾴκης φυλάττων Εὐκράτη.

Et ipsa Lysistrata:

ὁδ' ἐμός γε τελέους ἑπτὰ μῆνας ἐν Πύλῳ.

Unde apparet Pylum circa id tempus, quo Lysistrata acta est, jam in potestate Atheniensium fuisse. De Eucrate autem Schol.: *Στρατηγὸς Ἀθηναίων ὁ Εὐκράτης, κωμῳδεῖται δὲ ὡς δωροδόκος καὶ προδότης καὶ ξένος.* Certum aliquid de eo dicere nequeo, quoniam apud unicum illius temporis idoneum testem Thucydidem nihil video. Suidas s. *ἀπέστην* (l. *ἄπεστιν*): *Εὐκράτης οὗτος ἦν στρατηγὸς Ἀθηναίων ὁ καλλούμενος στύγαξ (στύππαξ) δωροδόκος καὶ προδότης, ὃς ἀπώλετο ὑπὸ τῶν τριάκοντα, οἱ δὲ, ὡς πιὼν κώνειον, ἀκόνιτον δέ.* Videtur igitur Suidas ea, quae variis locis apud Scholiastam legerat de Eucrate demagogo, qui circa initium

*) Ad Eupolidis locum respiciunt Plut. Mor. pag. 712. A. Eunap. pag. 99.

belli plebi per breve tempus praefuit, et de eo, qui Lys. 103 commemoratur temere conjunxisse, ejusque testimonium non sufficit, ut credamus τὸν στυππειοπώλην de cujus potentia jam, quum Cleon caput plebis factus est, actum erat et cujus vestigium postea nusquam reperimus ullum, anno 412 repente praetorem creatum esse.

Hieme anni 412—11 Charminus et duo collegae cum triginta quinque navibus mittuntur Samum *). Brevi post Atheniensium praetores in insula Samo certiores fiunt, Spartanos misisse viginti septem naves (περὶ ἡλίου τροπάς) †) in Joniam. Itaque mittunt Charminum cum viginti navibus adversus illas septem et viginti, quas ille cognovit jam ad Caunum venisse. Dum vero circa Symen insulam versatur Charminus, advenit Astyochus ex insula Co et proelio navali facto ab initio Athenienses vincunt, tandem vero ab omni parte inclusi sex navibus amissis fuga salutem petunt §). Ob hanc cladem pessime audiebat Charminus in Thesmophoriazusis, quae anno 411, igitur paucis mensibus post illam cladem actae sunt **). Videlicet chorus Thesmophoriazusarum in parabasi ††) queritur de injuria virorum, quod omnium malorum auctores haberent feminas, dum contra plura et graviora vitia objici possent viris et praestarent virtutibus feminae illis. Monstratur hoc exemplis:

Ναυσιμάχης μὲν γ' ἥττων ἐστὶν Χαρμῖνος· δῆλα δὲ τἄργα· κτλ. §§)

*) Thuc. 8, 30, 1.
†) Thuc. 8, 39, 1.
§) Thuc. 8, 41 et 42.
**) F. H. Clinton.
††) Thesm. 785 sqq.
§§) Thesm. 804.

Illam autem Nausimachen, Aristomachen aut Eubulen non excellentes quasdam matronas fuisse non opus est monere, sed nomina sunt jocose ficta et nomen Nausimache nihil aliud sibi vult, nisi ut indicetur, qua in re Charminus perperam et secus egisset. Vera igitur sunt prima Scholii verba πέπλασται τὰ ὀνόματα, quae autem ibidem sequuntur inepta sunt, inprimis verba postrema, de quibus recte Fritschius: »ab imperito homine profecta, qui et ἐν θράκῃ non sine foedo scripsit errore et de certissima re inepte dubitavit." Charminus igitur unus fuit eorum praetorum qui commemorantur Lys. 313:

Τίς ξυλλάβοιτ ἂν τοῦ ξύλου τῶν ἐν Σάμῳ στρατηγῶν.

Videlicet ad finem aestatis anni 412 Athenis mittuntur Phrynichus (ὁ Στρατωνίδου Schol. Lys. 313, Δειρατιώδης Plut. Alcib. 25. e tribu Leontidi, Steph. Thes. s. v. Δειράδες) Onomacles et Scironides cum mille hoplitis Atheniensibus, mille et quingentis Argivis et mille sociis, classe duodequinquaginta navibus in insulam Samum *). Hieme autem ejusdem anni τοῖς ἐν τῇ Σάμῳ προσαφιγμέναι ἦσαν Athenis quinque et triginta naves ducibus Charmino Strombichide et Euctemone †). Strombichides jam aliquot mensibus ante una cum Thrasycle viginti navibus ex insula Lade Miletum aliquamdiu obsederat §), dum Leon et Diomedon paullo post Athenis missi circa Chium pugnant navibus quinque et viginti. **) Strombichides, qui praefuerat octo navibus ex illis regio-

*) Thuc. 8, 25, 1.
†) Thuc. 8, 30, 1.
§) Thuc. 8, 17, 3. 24, 1.
**) Thuc. 8, 23, 1. 24, 2.

nibus domum reversus esse videtur, ita ut illis viginti quinque navibus, quibus praeerant Leon et Diomedon, et Thrasyclis duodecim navibus relictis, hicme, postquam illi sex praetores advenerunt, naves Atheniensium ad Samum adfuisse videantur aliquot plures quam centum. Namque ex illis quadraginta octo, quas duxerunt Phrynichus Onomacles et Scironides, nonnnllae aberant, quibus Argivi ob cladem, quam ad Miletum acceperant *), irati domum erant reversi. Quae autem de numero navium totius classis, quae tunc ad Samum erat, dixi, confirmantur iis, quae leguntur Thuc. 8, 30: *Στρομβιχίδης μὲν γὰρ καὶ Ὀνομακλῆς, καὶ Εὐκτήμων τρίακοντα ναῦς ἔχοντες καὶ τῶν ἐς Μίλητον ἐλθόντων χιλίων ὁπλιτῶν μέρος ἀγαγόντες ἐν ναυσὶν, ὁπλιταγωγοῖς ἐπὶ Χίον λαχόντες ἔπλεον, οἱ δ' ἄλλοι ἐν Σάμῳ μένοντες τέσσαρσι καὶ ἑβδομήκοντα ναυσὶν ἐθαλασσοκράτουν καὶ ἐπίπλους τῇ Μιλήτῳ ἐποιοῦντο.* His autem aliquot plus centum navibus praefuisse videntur duces hi: Thrasycles, Leon, Diomedon, Phrynichus, Onomacles, Scironides, Charminus, Euctemon, Strombichides. Leon et Diomedon paullo post domum reversi iterum Athenis mittuntur in locum Phrynichi et Scironidae, quibus Athenienses imperium ademerant †).

Illos igitur praetores invocat chorus, ut in expugnanda arce opem praestarent. Quod, opinor, nihil aliud sibi vult, quam ut fierit res maxime ridicula, tumultus scilicet feminarum, et virorum arcis oppugnatio, etiam magis ridicula. Inepte igitur Scholiasta ad h. l. *οἱ ἐν*

---

*) Thuc. 25 sq.

†) Thuc. 8, 54, 2.

Σάμῳ στρατηγοῦντες ἐδυστύχησαν πάνυ, λέγει οὖν, τίσ ἐκείνων συλλάβοιτο τοῦ ξύλου, ἵνα πλέον δυστυχήσῃ.

Praeter Charminum ex illis in Samo praetoribus apud Aristophanem occurrit Phrynichus, Stratonidae filius, Ran. 689, ubi poeta populum Atheniensium haecce monet: (686 sqq.)

τὸν ἱερὸν χόρον δίκαιόν ἐστι χρηστὰ τῇ πόλει
ξυμπαραινεῖν καὶ διδάσκειν. πρῶτον οὖν ἡμῖν δοκεῖ
ἐξισῶσαι τοὺς πολίτας κἀφελεῖν τὰ δείματα.
κεἴ τις ἥμαρτε σφαλείς τι Φρυνίχου παλαίσμασιν,
ἐγγενέσθαι φημὶ χρῆναι τοῖς ὀλισθοῦσιν τότε
αἰτίαν ἐκθεῖσι λῦσαι τὰς πρότερον ἁμαρτίας.

Scholii verba de quatuor ducibus et de Phrynicho tragico inepta sunt.*) Ejusdem fere farinae sunt, quae apud Suidam s. Φρυνίχου πάλαισμα et s. παλλαίσμασιν legimus. Recte quidem ille de Phrynicho praetore cogitavit, sed male explicat vocem παλαίσμασιν, dictam esse scilicet pro στρατηγήμασιν. Quis autem fuerit ille Phrynichus et quam vim habeat illud παλαίσμασιν, tum demum recte intelligi potest, si constat, qui fuerint illi cives, quos ἐξισῶσαι quibusque ἀφελεῖν τὰ δείματα poeta Athenienses moneat. Optime hoc vidit Kockius, qui (Annot. ad vs. 688 ed. Haupt et Sauppe) locum sic explicat; »Hierunter hat man weder die restitutio der ἄτιμοι, da diese erst 692 erwähnt wird, noch die Rückberufung der Verbannten

*) Ad vs. 688: τὸ δὲ Φρυνίχου παλαίσμασιν, ἔπει ὁ τραγικὸς Φρύνιχος ἐν Ἀνταίῳ δράματι περὶ παλαισμάτων πολλὰ διεξῆλθεν, ὡς πρόκειται.

zu verstehen — eine Forderung, durch welche Aristophanes sicherlich nicht Gunst erlangt, sondern sich sehr verhasst gemacht hätte (vgl. Andok: I, 78—80): es war eine der härtesten Bedingungen des späteren Friedens, dass die Verbannten zurückkehren sollten. Vielmehr will Aristophanes, dass man die Vierhundert und ihre Anhänger nicht mit Misstrauen und Argwohn behandle, sondern den übrigen Bürgern gleichstelle, sobald sie sich gerechtfertigt haben." Quam pessime autem populus illos quadringentos odisset, apparet ex oratione Lysiae *ὑπὲρ Πολυστράτου*, unius ex quadringentis, statim ab initio: *Οὔ μοι δοκεῖ χρῆναι ὀργίζεσθαι ὑμᾶς τῷ ὀνόματι τῷ τῶν τετρακοσίων, ἀλλὰ τοῖς ἔργοις ἐνίων*. Timet igitur Lysias clienti suo, quamvis *καλῶς ἄρξαντι*, vel ob eam tantum causam, quod unus illorum fuisset. Praeterea constat eum vel eos, qui Phrynichum occidissent, non solum poenas dedisse nullas, sed etiam praemia accepisse, *) et illud plebiscitum jam hodie superest. (Vide Ussing. Inscriptt. graec. Kopenhagen 1847 N°. 56 et Zeitschr. f. Alt. Wiss. 1847, pag. 1099). Et mehereule non injuria Athenienses saeviebant post redinstauratam democratiam in istos, licet nonnulli interfuerint *εὖνοι*, ut vult Lysias (Or. 20, 1). Illi enim non saluti patriae, sed suis tantum commodis et suae potestati studebant et nihil intentatum relinquebant, quin optima libertate funditus deleta suum imperium confirmarent †). Sed ut fit in ejusmodi Reipublicae temporibus, ea factio, quae alteram supprimit,

*) Lys. XIII, 70 sqq. VII, 4.

†) Thuc. 8, 70 sqq.

ulciscendi modnm non facile servat, et sic facile credimus Athenienses quoque tunc temporis fortasse nimii fuisse. Imprimis sycophantarum genus tunc suas malas artes exercuisse videtur, ut v. c. apud Lysiam videmus: (Or. 25, 25) *Ἄξιον δὲ μνησθῆναι καὶ τῶν μετὰ τοὺς τετρακοσίους πραγμάτων .... ἴστε γὰρ Ἐπιγένην καὶ Δημοφάνην καὶ Κλεισθένην ἰδίᾳ μὲν καρπωσαμένους τὰς τῆς πολεως συμφοράς, δημοσίᾳ δὲ ὄντας μεγίστων κακῶν αἰτίους. ἐνίων μὲν γὰρ ἔπεισαν ὑμᾶς ἀκρίτων θάνατον καταψηφίσασθαι, πολλῶν δὲ ἀδίκως δημεῦσαι τὰς οὐσίας, τοὺς δ' ἐξελάσαι καὶ ἀτιμῶσαι τῶν πολιτῶν· τοιοῦτοι γὰρ ἦσαν, ὥστε τοὺς μὲν ἡμαρτηκότας ἀργύριον λαμβάνοντες ἀφιέναι, τοὺς δὲ μηδὲν ἠδικηκότας εἰς ὑμᾶς εἰσιόντες ἀπολλύναι. καὶ οὐ πρότερον ἐπαύσαντο, ἕως τὴν μὲν πόλιν εἰς στάσεις καὶ τὰς μεγίστας συμφορὰς κατέστησαν, αὐτοὶ δ' ἐκ πενήτων πλούσιοι ἐγένοντο* *). Aristophanes igitur, ut qui minime effrenatae libertati et pessimi cujusque licentiae faveret, sed staret ab optimatibus, monet Athenienses, ne praejudicata sententia tractarent et judicarent eos, qui aut ex quadringentis in urbe supererant aut illarum partium fuissent, et demerent illis metum iniquitatis. Deinde si quis peccasset usus Phrynichi pessimis artibus, uti iis facultas daretur sese defendendi. Phrynichus scilicet, Stratonidae filius, inter primarios fuit quadringentorum †), quorum furiosissimus et crudelissimus fuisse videtur. Quod apparet vel ex eo, quod interemptoribus ejus, ut de patriae bene meritis, praemia tribuerunt Athe-

---

*) Cf. Xenoph. Hell II, 2, 10.

†) Lys. Or. 13, 73 *Ὁ Φρύνιχος γὰρ οὗτος τοὺς τετρακοσίους κατέστησεν.*

nienses. Phrynichi igitur *παλαίσματα* sunt pessimae artes, quibus usus est tunc, quum cum CD Reipublicae praeesset. Namque eo potissimum et paucis aliis auctoribus, actum est cum Lacedaemoniis de foedere cum oligarchis quibuscunque conditionibus icendo et *τὸ τεῖχος τὸ ἐν Ἠετιωνείᾳ* estruebatur, imprimis quum sensissent *τὰ ἐν τῇ Σάμῳ σφῶν ἐς δημοκρατίαν ἀποστῆναι* . . . et *ὁρῶντες τούς τε πολλοὺς καὶ σφῶν τοὺς δοκοῦντας πρότερον πίστους εἶναι μεταβαλλομένους* *). De illo autem muro Thucydides sic: (8, 90, 4) *ἦν δὲ τοῦ τείχους ἡ γνώμη αὕτη, ὡς ἔφη θηραμένης καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ, οὐχ ἵνα τοὺς ἐν Σάμῳ, ἤν βίᾳ ἐπιπλέωσι μὴ δέξωνται ἐς τὸν Πειραιᾶ, ἀλλ' ἵνα τοὺς πολεμίους μᾶλλον, ὅταν βούλωνται, καὶ ναυσὶ καὶ πεζῷ δέξωνται.* Ejus modi igitur gravissima proditionis delicta et multa alia, *ἃ εἰς τὸν δῆμον* cum Pisandro ceterisque demagogis, ut ait Lysias: (Or. 25, 9.) *ἥμαρτεν*, ea, inquam, sunt *τὰ Φρυνίχου παλαίσματα.*

Inter capita quadringentorum Thucydides refert Pisandrum (8, 90, 1.) de qno addit (8, 68, 1.) *καὶ τἄλλα ἐκ τοῦ προφανοῦς προθυμότατα ξυγκαταλύσας τὸν δῆμον.* Iste autem Pisander Acharnensis †) e tribu Oeneïde apud Aristophanem primum occurrit in fragm. fabulae Babyloniorum §), ubi *δωροδοκίας* crimen ei objicitur hisce verbis:

---

*) Thuc. 8, 90, 2.

†) Bekkeri Schol. ad Aeschin. de falsa lagatione 51. *οἱ περὶ Πείσανδρον τὸν Ἀχαρνέα δημαγωγὸν ἔπεισαν τὸν δῆμον, ἐπεὶ δεῖται τὰ πράγματα σπουδῆς καὶ ἐπινοίας ταχείας ποιήσασθαι κυρίους ἁπάντων τετρακοσίους.*

§) Schol. Av. 1556.

Ἢ δῶρ' αἰτοῦντες ἀρχὴν πολέμου πορισειεν μετὰ Πεισάνδρου
vel potius e conjectura Cobeti.

Ἢ δωροδοκῶν ἀρχὴν πολέμου μετὰ Πεισάνδρου πορίσειεν *)
verbis scilicet ita dispositis, ut efficiatur versus anapaesticus e parabasi petitus. Deinde Pac. 395 commemoratur, ubi chorus Mercurium pacem rogat:

ἀλλὰ χάρισ', ὦ φιλανθρωπότατε καὶ μεγαλοδωρότατε δαιμόνων,
εἴ τι Πεισάνδρου βδελύττει τοὺς λόγους καὶ τὰς ὀφρῦς.

Audit igitur, quod ad amorem belli attinet, fere eadem, quae Lamachus, de quo supra dictum est, ut vero de hujus virtute bellica nihil derogat poeta, sic isti eadem laus minime tribuenda fuisse videtur. Contra ejus ignavia in proverbium abiit. (Suid. s. *Πεισάνδρου δεινότερος*). Timiditatis ejus testimonio etiam lepidus locus est apud Xen. Symp. I, 1. ubi Philippus scurra: *καὶ μὴν ἔγωγε, ἡδέως ἂν θεώμην Πείσανδρον τὸν δημηγόρον μανθάνοντα κυβιστᾶν εἰς τὰς μαχαίρας, ὃς νῦν διὰ τὸ μὴ δύνασθαι λόγχαις ἀντιβλέπειν οὐδὲ συστρατεύεσθαι ἐθέλει.* Qui autem factum sit, ut eidem ignavia et simul amor belli objiciantur, docet Schol. Pac. 395, qui dicit eum *φιλοπόλεμον καὶ πολεμοποιον* fuisse *κερδῶν ἰδίων ἕνεκεν.* Quod confirmatur ab ipso Aristophane iis verbis, quae leguntur Lys. 490, ubi Lysistr. *τῷ προβούλῳ:*

Ἵνα γὰρ Πείσανδρος ἔχοι κλέπτειν χοὶ ταῖς ἀρχαῖς ἐπέχοντες,
ἀεί τινα κορκορυγὴν ἐκύκων.

Nullum autem Pisandri timidatis acerbius est testimonium, quam illud: (Av. 1551 sqq.)

Πρὸς δὲ τοῖς Σκιάποσι
λίμνη τίς ἐστ' ἄλουτος, οὗ
ψυχαγωγεῖ Σωκράτης.

*) Cobet Obs. Crit pag. 128.

Ἔνθα καὶ Πεισανδρος ἦλθε
δεόμενος ψυχὴν ἰδεῖν, ἣ
ξῶντ' ἐκεῖνον προὔλιπε.

Cujus filius fuerit Pisander nescimus, nisi fortasse sit *ὁ Πεισίου*, qui commemoratur Av. 765, ubi chorus avium praedicans commoda suae urbis, in qua nequissimo cuique liceret suas artes impune exercere:

Εἰ δ' ὁ Πεισίου προδοῦναι τοῖς ἀτίμοις τὰς πύλας
βούλεται, πέρδιξ γενέσθω, τοῦ πατρὸς νεοττίον·
ὡς παρ' ἡμῖν οὐδὲν αἰσχρόν ἐστιν ἐκπερδικίσαι

Similitudine scilicet nominum ductus Fr. Vater in Allg. Encyclop. Ersch et Gruber s. v. Peisandros dicit verisimile esse *τὸν Πεισίου* fuisse Pisandrum. Saepe enim tunc temporis apud Athenienses factum est, ut filii acciperent nomina paullum a patris nomine mutata ita, ut nomini patris et filii inhaereret eadem radix, aut immutata maneret compositionis pars prior, v. c. *Νικίας Νικηράτου, Κλέων Κλεαινέτου, Φωκίων Φώκου, θρασύβουλος, ὁ θράσωνος*. Manabat illa ratio e prisco usu *τοῦ πατρόθεν ὀνομάζειν*. Et sic facile fieri potuit, ut Pisiae filio nomen fuerit Pisander. Attamen id argumentum non tantum valet, ut *τὸν Πεισίου* credamus neminem alium esse potuisse quam nostrum. Scholiasta cui optimi fontes ad manus erant, nihil certi de illo Pisiae filio dicere habet. Itaque rem dubiam dijudicare non ausim eamque in medio relinquo. Unum tantum monere velim, illud scil. *πέρδιξ γενέσθω* et *τὸ ἐκπερδικίσαι*, quibus aufugiendi et se ex periculis expediendi et evadendi significatio inest, optime cadere in Pisandri ingenium.

Praeter hunc Pisandrum et alius tunc Athenis vixisse

videtur, ut apparet ex Schol. Av. 1555: *δύο δέ εἰσι Πεισανδροι, καθάπερ Εὔπολις ἐν Μαρικᾷ φησιν:*

ἄκουε νῦν Πεισανδρος ὡς ἀπόλλυται.

ὁ στρεβλός; οὐκ ἀλλ' ὁ μέγας οὐνοκίνδιος

καὶ Πλάτων ἐν Πεισάνδρῳ περὶ ἀμφοτέρων λέγει. Quaeritur igitur, uter fuerit noster. Apparet hoc ex Suida s. v. *Πεισάνδρου δειλότερος: δειλὸς ἦν, φιλοπόλεμος δὲ καὶ πολεμοποιος κερδῶν ἰδίων ἕνεκεν· μέγας δέ, καὶ ἐκαλεῖτο ὀνοκίνδιος· ἔχρητο δὲ τριλοφίᾳ καὶ ὅπλοις ἐπισήμοις ὑπὲρ τοῦ δοκεῖν ἀνδρεῖος εἶναι μὴ ὤν.* Quae omnia cadunt in Pisandrum, de quo agimus. Adde Schol. Av. 1553, ubi de eodem legitur *ἦν δὲ τὸ σῶμα εὐεκτής, ὡς Ἑρμιππος... καὶ δωροδοκήσας.* *Ὁ στρεβλός* igitur alius erat, ceteroquin ignotus, noster autem fuit *οὐνοκίνδιος* *). Cui sententiae tamen obesse videtur Schol. Lys. 491, ubi, postquam de Pisandro ignavo et *δωροδόκῳ* sermo erat, additur: *ἔστι δὲ καὶ ἄλλος Πεισανδρος, ὁ Ὀνοκίνδιος, ὡς Εὔπολις ἐν Μαρικᾷ.* Sed aut Scholiasta errat aut inter *Πεισανδρος* et *ὁ* excidit *ἤ*.

*) Cfr. Cobet. Obc. Cr. p. 135.

CAPUT QUARTUM.

DE IIS, QUI POST ANNUM 410 STRATEGICO MUNERE FUNCTI SUNT.

Postquam in Sicilia cum summo Atheniensium damno est debellatum, actum est de alacritate et ardore, quo Atheniensium populus adhuc cum hostibus pugnaverat. Sed in illa rerum desperatione caput erexit factio illorum, qui in omni libero populo melioris sese farinae habentes quam reliquos, sibi omnem potestatem et auctoritatem vindicare solent. Invident isti et semper invidebunt libertati populi, jure existimantes facilius esse honores auctoritatemque quasi ex hereditate a claris majoribus accipere, quam de iisdem in illo Reipublicae statu, ubi omnes ejusdem juris sunt, cum unoquoque certare. Propterea Athenis quoque publica illa calamitas istis grata optataque fuit, namque sic demum sperare licuit populi libertatem eversum iri. Pessimi autem cives ii semper habendi sunt, quibus publica calamitas nocet, sed qui felicissima libertatis tempora sibi nocere existimant,

Quum vero populus desperare et liberrimae illi Reip. formae diffidere coepisset *), facile optimates *κατέλυσαν τὸν δῆμον*. Sed actum esse videtur apud eos quoque de prisca virtute et prudentia, qua majores olim carissimam patriam ad summam gloriam potentiamque provexerant. Malebant isti etiam foedissimis conditionibus pacem ab hostibus accipere, quam de rerum summa cum gloria decertare.

Quum igitur *τοῖς πολλοῖς* deest omnis fides, desunt nervi et optimates patriae male cupiunt, videmus, quod necesse erat, civitatem Atheniensem ruere in perniciem.

Illis autem tristissimis temporibus unus est, qui prae ceteris conabatur *ἐκ τῶν συμφορῶν* commodis prospicere suis. Theramenes scilicet, qui unus erat ex iis, de quibus Thuc. 8, 39, 4 dicit: *πάντες γὰρ αὐθημερὸν ἀξιοῦσιν οὐχ ὅπως ἴσοι, ἀλλὰ καὶ πολὺ πρῶτος αὐτὸς ἕκαστος εἶναι.* Quod imprimis Theramenes studens semper adest ei factioni, quae nunc in civitate habet potestatem. Optime viri ingenium et malae artes cognoscuntur ex oratione Critiae Xen. Hell. 2, 3, 24 sqq. Namque quum Theramenes *εἰς τὸν δῆμον*, teste Lysia, (Or. 12, 50.) *πολλὰ ἐξήμαρτεν*, Criiias eum accusans non necesse habuit crimina fingere, sed verissima esse opinor, quae dicit: (2, 3, 30.) *οὗτος γὰρ ἐξ ἀρχῆς μὲν τιμώμενος ὑπὸ τοῦ δήμου, κατὰ τὸν πατέρα Ἄγνωνα, προπετέστατος ἐγένετο τὴν δημοκρατίαν μεταστῆσαι εἰς τοὺς τετρακοσίους καὶ ἐπρώτευεν ἐν ἐκείνοις. ἐπεὶ δ' ᾔσθετο ἀντίπαλόν τι τῇ ὀλιγαρχίᾳ συνιστάμενον, πρῶτος αὖ ἡγεμὼν τῷ δήμῳ ἐπ' ἐκείνους ἐγένετο· ὅθεν δήπου καὶ κόθορνος ἐπικαλεῖ-*

*) Thuc. 8, 66.

ται *). Idem crimen ei Aristophanes objicit duobus locis Nub. 588.

τὸ δὲ μεταστρέφεσθαι
πρὸς τὸ μαλθακώτερον
δεξίου πρὸς ἀνδρός ἐστι
καὶ φύσει θηραμένους.

et Nub. 968:

θηραμένης; σοφός γ' ἀνὴρ καὶ δεινὸς εἰς τὰ πάντα,
ὃς ἢν κακοῖς τις περιπέσῃ καὶ πλήσιον παραστῇ,
πέπτωκεν ἐξω τῶν κακῶν, οὐ Χῖος, ἀλλὰ Κεῖος.

Ultima verba sedem habent in alearum lusu, quum Χῖος sit jactus pessimus, contra Κῷος optimus (Schol. ad h. v., Eusth. ad Odyss. Λ., Σ. pag. 1462, 45.) et illud quoque πίπτειν indidem sumptum est (Soph. Fragm. 763, Alexis 33.) Κεῖος autem pro Κῷος dictum esse videtur παρ' ὑπόνοιαν, eo scilicet consilio, ut ei objiciatur δυσγένεια. Secundum Plutarchum enim Theramenes, ξένος ἐκ Κέω, fuit adoptatus ab Hagnone †). Sed quoniam apud magis idoneos testes ejus rei nullum videmus vestigium, recte monet Kockius ad hunc locum: Vielleicht beruht jedoch diese Sage von einer auswärtigen Abstammung nur auf den Spässen der Komiker. Dann würde mit dem unerwarteten Κεῖος auf seinen aus Keos gebürtigen Lehrer Prodikos gedeutet §), wie Wo. 830 Socrates der Melier

*) Pollux 7, 90, 91. τὸν θηραμένην κόθορνον ἐκάλουν διὰ τὸν περὶ τὴν πολιτείαν ἀμφοτερισμόν.

Schol. Nub. 361: καὶ γὰρ ὁ κόθορνος τὸ ὑπόδημα ἀμφοτέροις ἁρμόζει τοῖς ποσίν.

†) Schol. Arist. Ran. 970.

§) Athen. 5, 220, 6. Schol. Nub. 361.

genannt wird, weil er wie der Melier Diagoras die Existens der Götter leugnet".

Ran. 1195 commemoratur Erasinides unus ex miseris praetoribus, qui postquam ad Arginusas victoriam reportaverunt ab Atheniensibus ex publico decreto necati sunt:

(Oedipus) εὐδαίμων ἄρ' ἦν,
εἰ κἀστρατήγησέν γε μετ' Ἐρασινίδου.

Ubi scilicet post pugnam navalem sex praetores Athenas reversi sunt, Erasinides primus in vincula publica conjicitur accusatus ab Archedemo demagogo et de peculatu et de officiis in imperio neglectis *). Quod ad crimen peculatus attinet, de ea re nihil apud historicos reperitur. Herbst (Schlacht b. d. Arg. pag. 44. Anm. 60): Auf die Zeit seiner Flucht von Mytilene nach Athen, Xen. 1, 6, 22, kann sich diese Anschuldigung gegen den Erasinides nicht wohl beziehen, wie Grote S. 447 andeutet; Erasinides war damals sehr eilig und inzwischen schon, vor der Schlacht, in Athen. Wahrscheinlich hat Erasinides zur Rüstung der Flotte Gelder aus der hellespontischen Zollstätte erhoben, Xen. I, 1. 22.

Quod autem Erasinides statim ac primus accusaretur de pio officio naufragorum periculo mortis excipiendorum neglecto, ejus rei causa fuit, quod Erasinides in praetorum concilio statim post pugnam habito suaserat, ut sine mora proficiscerentur ad Mytilenen, ut simul Cononem obsidione liberarent et Eteonicum, antequam ullus de clade Spartanorum nuntius pervenire posset, opprimerent †).

---

*) Xen. Hell. 1, 7, 2.

†) Xen. Hell. 1, 7, 29.

Cononis nomen apud Aristophanem nusquam occurrit, sed est locus, Eccl. 195, ad quem Scholiasta adnotat Cononem intelligi. Praxanora scilicet vitia enumerans, quibus tunc Respubliea laboraret, haec dicit:

τὸ συμμαχικὸν αὖ τοῦθ', ὅτ' ἐσκοπούμεθα,
εἰ μὴ γένοιτ', ἀπολεῖν ἔφασκον τὴν πόλιν.
ὅτε δὴ δ' ἐγένετ', ἤχθοντο, τῶν δὲ ῥητόρων
ὁ τοῦτ' ἀναπείσας εὐθὺς ἀποδρὰς ᾤχετο.

Schol. *ὁ τοῦτ' ἀναπείσας· Κόνωνα λέγει.*

Sine dubio significatur foedus, quod cum Thebanis, Corinthiis et Argivis Athenienses icerunt. Sed Scholiasta ad v. 193: *περὶ δὲ τοῦ συμμαχικοῦ Φιλόχορος ἱστορεῖ, ὅτι πρὸ δύο ἐτῶν ἐγένετο συμμαχία Λακεδαιμονίων* (lege *Ἀθηναίων*) *καὶ Βοιωτῶν.* Hoc autem foedus ictum est paullo ante proelium ad Haliartnm. Quum enim Timocrates, missu Tithrausis anno 395 *) in Graeciam venisset et alios et Athenienses ad bellum contra Lacedaemonios gerendum verbis et nummis excitaret, Athenienses non statim foedus cum Thebanis inierunt, irati adhuc illis ob pristinam amicitiam Thebanos inter et Spartanos, sed quum hi jamjam invasuri essent Boeotiam et legatis missis Thebani eorum opem invocassent, tunc demum multi in comitiis *τὴν συμμαχίαν* suadent, *πάντες δ' ἐψηφίσαντο βοηθεῖν αὐτοῖς.* Post pugnam ad Haliartum demum illi duarum adhuc civitatum foederi †) accedunt Corin-

---

*) Xen. III, 5, 1. IV, 2. 1. Clint F. H. ad ann. 395. Lysias 16,13: *πρῶτον μὲν γὰρ, ὅτε τὴν συμμαχίαν ἐποιήσασθε πρὸς τοὺς Βοιωτοὺς καὶ εἰς Ἁλίαρτον ἔδει βοηθεῖν.*

†) Diod. XIV, 81 Lys. 16, 13.

thii et Argivi *). Ad hanc τῶν μεγίστων πόλεων συμμαχίαν, initam anno 395 exeunte aut ineunte 394, spectant verba Praxanorae. Circa id tempus vero Conon versatus est in oriente τοῦ βασιλέως ναύαρχος †) et neque potuit inter oratores esse, qui suadebant γενέσθαι τὸ συμμαχικόν neque τὸ εὐθὺς ἀποδρᾶς ᾤχετο ullo pacto de eodem intelligi potest. Errat igitur Palmerus, qui sententiam Scholiastae probat temporum rationem confundens et mirum in modum rem explicans §).

Praeterea locus est in Pluto ad quem etiam Scholiasta de Conone mentionem facit. Plut. 173 Carionis verba sunt:

τὸ δ' ἐν Κορίνθῳ ξενικὸν οὐχ οὗτος τρέφει;

Scholion ad hunc locum vera et falsa, immo inepta quaedam docet. Dissertius rem explicat Harpocration de illo exercitu mercede conducto dicens: συνεστήσατο αὐτὸ πρῶτον Κόνων, παρέλαβε δ' αὐτὸ Ἰφικράτης ὕστερον καὶ Χαβρίας. Conon scil. et Pharnabazus vere anni 393 ναῦς πολλὰς συμπληρώσαντες καὶ ξενικὸν προσμισθωσάμενοι proficiscuntur in Graeciam **). Pharnabuzus paullo post Corintho in Asiam revertitur relictis Cononi copiis et nummis, quibus ille longos muros restaurat et Piraeum munit ††). Circa id tempus igitur, si Harpocrationi credimus, Conon nummis Persicis instituit exercitum illum conducticium, qui Corinthum sedem habuit, et cui postea Iphicratem praeesse videmus §§).

*) Diod. XIV, 82 Xen. IV, IV, 2, 1.

†) Diod. XIV, 81 et 83.

§) Comm. in Ar. Com. Beck. Vol, IV, pag. 665.

**) Xen. IV, 8, 7.

††) Xen. IV, 8, 9 sqq.

§§) Xen. IV, 8, 34 Diod. XIV, 86, 3.

Conon Piraeo et Athenis munitis cum nonnullis legatis haud ita multo post in Asiam ad Tiribazum profectus, ut eum averteret a foedere cum Lacedaemoniis, qui Antalcidam misissent, et amicum redderet Atheniensibus eorumque sociis, a Tiribazo in vincula conjectus *) et nunquam in patriam reversus est. Nihil quidquam abhinc de viro, qui tunc temporis unus omnium optime de patria meritus erat, memoriae proditum.

Thrasybulus cum laude commemoratur Plut. 550. Quum videlicet Chremylus paupertatem sororem esse dixisset mendicitatis, ipsa paupertas ei respondit:

Ὑμεῖς γ' οἵπερ καὶ θρασυβούλῳ Διονύσιον εἶναι ὅμοιον.

Chremyli scilicet comparationem rerum dissimilium aeque pravam et absurdam esse, quasi quis dicere vellet, Dionysium tyrannum crudelissimum et Thrasybulum libertatis vindicem acerrimum similes esse.

Nobilissimum illud Thrasybuli factum commemoratur Plut. 1147:

Μὴ μνησικακήσῃς, εἰ σὺ Φυλὴν κατέλαβες †).

Unde apparet illa notissimi jurisjurandi verba in proverbium abiisse, eaque hoc loco ita accipienda esse videntur. Si tu magnis vitae commodis potitus es, noli ob eam rem superbire et priorum malorum memor me despicere, sed fac, obsecro, quod te rogo. Tum Thrasybuli nomen occurrit Eccl. 203 in loco mutilo et obscuro, quapropter incertum est, quisnam ille fuerit. Namque plures circa id tempus Athenis vixerunt Thrasybuli v. c.

---

*) Xen. IV, 8, 14 et 15.

†) Cf. Xen. II, 4, 2 sqq et II, 4, 43.

noster ὁ Λίκου, Stiriensis, ὁ θράσωνος *), ὁ Κολλυτεύς †), qui anno 387 octo navibus praefuit. Scholiasta, qui, ut verisimile est, locum jam integrum vidit, illum appellat αὐθάδη καὶ δωροδόκον, ὑπερόπτην τοῦ δήμου. Quae verba, ut opinor, non facile cadunt in nostrum, qui tunc maxima gloria fruebatur. Attamen non ausim rem dijudicare.

Aeque incertum esse reor, quis fuerit ille, qui Eccl. 356 secundum Schol. dicitur primum pollicitus pacem se dissuasurum, deinde corruptus a Spartanorum legatis levi praetextu usus verba non fecisse.

Ran. 1500 sqq. Pluto Aeschylum ex orco remittens jubet nequissimis nonnullis ferre nuntium, ut sine mora mortem sibi consciscant et in orcum descendant:

κἂν μὴ ταχέως ἥκωσιν, ἐγὼ
νὴ τὸν Ἀπόλλω στίξας αὐτοὺς
καὶ συμποδίσας
μετ' Ἀδειμάντου τοῦ Λευκολόφου
κατὰ γῆς ταχέως ἀποπέμψω.

Adimantus Leucolophi §) sive Leucolophidae filius, primum anno 407 praetor creatus additusque est Alci-

*) Plut. Alcib. 36.

†) Lys. 26, § 13, 21. Xen. V, 1, 26.

§) Aliis locis (Plat. Prot. 315. E. Xen. Hell. I, 4, 21. Frag. Eup. Pol. 12.) appellatur filius Leucolophidae. Cujus variationis multa sunt exempla, v. c. Nub. 65 nomen patris Strepsiadae est Φειδωνίδης, sed 134 Φείδων. Kock Nub. 65 haec adnotat: „Dieses Schwanken der Endung ist in griechischen Namen nicht selten. So Alexandros und Alexandrides, Cleandros und Cleandrides, Phrasikles und Phrasicleides, Eubulos und Eubulides, Lysimachus und Lysimachides, Simichos und Simichides (Hemsterhuys) Patrocles und Patrocleides."

biadi *) et iterum anno post paullo, antequam Ranae actae sunt, creatur statim post pugnam ad Arginusas. Quamvis adhuc nihil de eo memoriae proditum est, quamobrem habendus sit inter nequissimos istos, tamen non est dubitandum Aristophanem idoneam causam habuisse, cur hominem tam acerbe perstringeret. Qui enim fieri potuisset, ut is, in quem brevi post tam gravis injuria oriri potuerit, antehac vixisset innocens et probus? Quum videlicet in pugna ad Aegospotamos cum pernicie Athenarum pugnatum est, capiuntur multi et ex praetorum numero Philocles et Adimantus. Omnes ab iratis hostibus necantur praeter unum Adimantum, unde orta est suspicio, eum in tristissimo casu patriam prodidisse †). Hujus criminis, cujus testis est Pausanias quoque (III, 17, 2 et X, 9, 5) postea accusatus est a Conone §).

Ut Cleon Hyperbolum habet successorem, sic post Hyperbolum plurima apud populum gratia valuit Cleophon, cujus pessimi mores commemorantur Thesm. 805:

Καὶ μὲν δὴ καὶ Κλεοφῶν χείρων πάντως δήπου Σαλαβάκχους.

Sed praesertim in Ranis pessime audit, sine dubio quia in illis turbulentis Reipublicae temporibus primas egit. Peregrina ejus origo notatur 676 sqq. item 1532. Deinde poeta odium demagogi suum ostendit 1504.

Ut ceteri demagogi potentissimi, sic Cleophon quoque strategico munere functus esse videtur. Vide Cobetum, obs. crit. pag. 146, ubi vir clarissimus agit de fabula

*) Xen. I, 4, 21.

†) Xen. II, 1, 30 et 32.

§) Dem. 19, 191.

Platonis, Cleophontis nomine inscripta, et omnia quae ad illum attinent, ibi ita demonstata video, ut mihi quidem verbum nullum addendum esse rear.

Sic etiam, quod judicium Aristophanes de Agyrrhio tulerit Eccl. 183 sq. et Ran. 370 optime cognoscas ex eodem opusculo pag. 48 et 49. Agyrrhi corrupti mores lepide perstringuntur Eccl. 102—3 his verbis:

Ἀγύρριος γοῦν τὸν Προνόμου πώγων ἔχων
λέληθε, καίτοι πρότερον ἦν οὗτος γυνή,
νυνὶ δ' ὁρᾷς, πράττει τά μέγιστ' ἐν τῇ πόλει.

Sed non solum eum potentia abundasse sed etiam in re lauta vixisse apparet ex Plut. 176:

Ἀγύρριος δ' οὐ δία τοῦτον πέρδεται;

quod ejus esse Scholtasta dicit, qui sine ulla cura aut sollicitudine animi in summa affluentia vitam transigit.

CONSPECTUS OPUSCULI.

Caput primum. De iis, qui ante bellum Peloponnesiacum vixerunt . . . . . pag. 1.

Caput secundum. De iis, qui post Periclem usque ad annum 421 fere inclaruerunt . . . . . » 9.

Caput tertium. De iis, qui ab anno 421 fere usque ad annum 410 praetores fuere . . . . . » 17.

Caput quartum. De iis, qui post annum 410 strategico munere functi sunt . . . . . » 34.

INDEX NOMINUM.

ADIMANTUS . . . . . pag. 41 sq.
AGYRRHIUS . . . . . 43.
ARISTIDES . . . . . 1 sq.
BRASIDAS . . . . . 16 sq.
CHARMINUS . . . . . 24 sqq.
CIMON . . . . . 4 sqq. 13.
CLEON . . . . 3, 8, 14, 16, 20, 24.
CLEOPHON . . . . . 42 sq.
CONON . . . . . 37 sqq.
DEMOSTHENES . . . . . 20 sq.
ERASINIDES . . . . . 37.
EUCRATES . . . . . 23 sq.
HYPERBOLUS 19, 42
LACHES . . . . . 14 sqq.
LAESPODIAS . . . . . 22 sq.
LAMACHUS . . . . . 19.
LEONIDAS . . . . . 3.
MILTIADES . . . . . 2.
MYRONIDES . . . . . 11.
NICIAS . . . . . 20 sq.
PERICLES . . . . . 7 sq. 13.
PHORMIO . . . . . 10 sq.
PHRYNICHUS . . . . . 27 sqq.
PISANDER . . . . . 30 sqq.
THEMISTOCLES . . . . . 3.
THERAMENES . . . . . 35 sq.
THRASYBULUS . . . . . 40 sq.
THUCYD. MELESIAE F. . 11 sqq.

THESES.

I.

Herodotus 6, 37, 3: *Πλανεωμένων δὲ τῶν Λαμψακηνῶν ἐν τοῖσι λόγοισι τί ἐθέλει τὸ ἔπος εἶναι* Lege *εἶπαι*.

II.

Arist. Av. 1616: Verba *Ὁρᾷς; ἐπαίνει χοὗτος* Heraclis sunt non Pisthetaeri.

III.

Χάρης in *Λάχης* mutandum Schol. Ar. Vesp. 909, 924 et 963.

IV.

Sophocl. Trach. 945 sq.:

Οὐ γάρ ἐσθ' ἡ γ' αὔριον
πρὶν εὖ πάθῃ τις τὴν παροῦσαν ἡμέραν

Pro *πάθῃ* legatur *παρῇ*.

V.

Thuc. 6, 38, 2 legitur: *τοιγάρτοι δι' αὐτὰ ἡ πόλις ἡμῶν ὀλιγάκις μὲν ἡσυχάζει κτέ.*

Dele *δι' αὐτά.*

VI.

Thuc. 3, 17, 1: *Καὶ κατὰ τὸν χρόνον τοῦτον ὃν αἱ νῆες ἔπλεον ἐν τοῖς πλεῖσται δὴ νῆες ἅμ' αὐτοῖς ἐνεργοὶ κάλλει ἐγένοντο, παραπλήσιαι δὲ καὶ ἔτι πλείους ἀρχομένου τοῦ πολέμου.*

Substantivum *κάλλει* a vera sede aberrasse videtur. Itaque, ubi nunc legitur, expungatur et hoc fere modo cum *παραπλήσιαι* jungatur:.. *ἐνεργοὶ ἐγένοντο, παραπλήσιαι δὲ τὸ κάλλος καὶ κτέ.*

VII.

Thuc. 5, 63, 1: *Λακεδαιμόνιοι δὲ ἐπειδὴ ἀνεχώρησαν ἐξ Ἄργους τὰς τετραμήνους σπονδὰς ποιησάμενοι, Ἅγιν ἐν μεγάλῃ αἰτίᾳ εἶχον οὐ χειρωσάμενον σφίσιν Ἄργος, παρασχὸν καλῶς ὡς οὔπω πρότερον αὐτοὶ ἐνόμιζον.*

Duo ultima verba ejiciantur.

VIII.

Ar. Vesp. 808:

ἁμὶς μέν, ἤν οὐρητιάσῃς, αὕτηι
παρὰ σοὶ κρεμήσετ' ἐγγὺς ἐπὶ τοῦ παττάλου.

Lege *ἐκ.*

IX.

Ar. Vesp. 196:

Ὤθει τὸν ὄνον καὶ σαυτὸν ἐς τὴν οἰκίαν.

Hunc versum sic emendandum esse reor:

Ὥθει τὸν ὄνον τε καὐτὸν ἐς τὴν οἰκίαν.

X.

Virg. Aen. 65 sqq. Juno Aeneae irata Aeolum sic alloquitur:

»Aeole; namque tibi divom pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus et tollere vento.
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor,
Ilium in Italiam portans victosque Penates,
Incute vim v e n t i s, submersasque obrue puppes
Pro v e n t i s lege v e l i s.

XI.

Ibid. III, 55 et 56:

Quid non mortalia pectora cogis
Auri s a c r a fames

Lege s a e v a.

XII.

Hor. A. P. 369. sqq.:

Consultus juris et actor
Causarum mediocres abest virtute diserti
Messallae nec scit quantum Cascellius Aulus
Sed tamen in pretio est: mediocribus esse poetis
Non homines, non di, non concessere c o l u m n a e
Legendum est C a m e n a e.

XIII.

Caes. de b. G. IV. 10. haec leguntur (ed. Nipp.) »Mosa profluit ex monte Vosego, qui est in finibus Lingonum, (et parte quadam ex Rheno recepta, quae appellatur Vacalus † insulamque efficit Batauorum, in Oceanum influit) neque longius ab Oceano milibus passuum LXXX in Rhenum influit."

Quae uncis inclusi, alienae manus esse videntur.

XIV.

Male editur apud Nepotem in vit. Dat. 6, 7: »Hac re probata exercitum educit, Metrobarzanem persequitur tantum; qui cum ad hostes pervenerat, Datames signa inferri jubet."

Qui locus mihi sic emendandus esse videtur. Hae re probata exercitum educit, Metrobarzanem persequitur, qui tantum non ad hostes pervenerat, cum Datames signa inferri jubet.

XV.

Errat Lübker, qui (Reall. d. kl. A. pag. 527) de illo Lamacho, quem Aristophanes in Ach. deridet, dicit: »Im Auftrage des Perikles befreite er 453 Sinope von seinem Tyrannen."

XVI.

Recte Buckle, Hist. of Civilization in England Vol. I. pag. VII, 174—185.: »Intellectual truths" (as distinguished from moral truths) »are the cause of progress."

XVII.

Recte Schweglerus (Gesch. d. Phil. im Umriss pag. 115) de Cartesii philosophiae systemate: »Aber eben die Unfähigkeit, den Dualismus seines Standpunktes wahrhaft zu überwinden, ist der Hauptmangel seines Systems.

XVIII.

Materies et vis neque oriuntur neque exstinguuntur usquam aut umquam.

ERRATA.

Pag.	11	r. 25	divide in versiculos duos aequales.		
„	21	„ 8	pro optina	l. optime.	
„	26	„ 25	„ fierit	„ fieret.	
„	29	„ 1	„ modnm	„ modum.	
„	29	„ 7	„ πολεως	„ πόλεως.	
„	30	„ 6	„ estruebatur	„ exstruebatur.	
„	31	„ 13	„ δεινότερος	„ δειλότερος.	
„	34	„ 18	„ nocet	„ prodest.	
„	43	„ 14	„ Scholtasta	„ Scholiasta.	

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

WIDENER
BOOK DUE
CANCELLED 1988
AUG 3-9 1988 73